JACOBUS

Dei et Apostolicae Sedis gratia

Archiepiscopus Bambergensis.

Confirmatio sex novarum paroeciarum in urbe N ü r n b e r g .

Celeberrima urbs Norimberga, quondam magnificentia numeroque templorum ac monasteriorum longe lateque clara, dictae reformationis temporibus avitae fidei oblita, novatorum asseclam se praebuit, ita ut religio catholica omnino fere fuerit eradicata. Anno 1810 demum iterum paroecia B. Mariae Virginis pro nongentis catholicis, qui tunc in urbe habitabant, fuit erecta. Post sedecim lustra anno 1895 secunda paroecia S. Elisabeth addita est, cum numerus catholicorum fere quadraginta millia attigisset. Tertia paroecia Ssmi. Cordis Iesu sequebatur anno 1910 , cum interea catholici fere ad numerum centum millium excrevissent. Dein anno 1916 quarta paroecia S. Antonii, sequente anno quinta paroecia S. Ludovici fuerunt stabilitae.

Cum autem per amplum civitatis et suburbanorum territorium plus quam centum et decem millia catholicorum habitarent, omnino necessarium fuit, novas paroecias condere, ut animarum saluti provideretur.

Ad quem scopum tractationes accuratae inter Gubernium ac Ordinariatum NOSTRUM fiebant, ut districtus curatiarum dictarum, qui temporum decursu intra paroeciarum fines fuerunt

./.